





DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS IVRIDICA,  
DE 1735, 236  
**FIDEICOMMISSO,**  
SVB CLAVSVLA:  
**QVICQVID POST MORTEM**  
SUPERFVERIT,  
**RELICTO.**

GERMANIS:  
Von Vermächtnissen, besonders unter Eheleuten; Und  
von guter Vorsicht, daß dieselben dem überlebenden Theile  
oder auch übrigen Erben nicht zur Last fallen.

\*\*\*\*\*

Q V A M

S V B P R A E S I D I O

**DN. CONR. WILH. STRECKERI,**  
ICTI, IVRID. FACULT. ET IUDICII ELECT. PROVINC. AS-  
SES. PROF. IVR. PVBL. O. CIVIT. SYNDICI, CONSVLIS ET  
CAVSARVM TUTELARIVM CONSVENTIS,

PRO  
**GRADV DOCTORALI**

DIE XXII. AVG. A. M D C C XXXV.

IN PER. ANTIQVA ELECTORALI VNIVERSITATE  
ERFORDIENS  
PVBLICA E RDITORVM DISQVISITIONI EXPOSUIT

A.  
**THEOPHILVS MARTINVS Lipsch,**  
WEDERINGA-MAGDEBURGICVS.  
EDITIO II.

FRANCOF. ET LIPSIAE, CIO 10 GCLIII.





I. N. D. N. I. C.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA,  
DE  
FIDEICOMMISSO  
SVB CLAVSVLA:  
QVICQVID POST MORTEM  
SUPERFVERIT.  
RELICTO.

§. I.



oniunctam esse fideicommissi  
vocem, vel latinæ lingvæ non  
ignotum est tyronibus. De-  
rivatur enim à fide & commit-  
to. Fides dicta creditur à ci-  
CERONE libr. 1. de offic. c. 7. ex  
eo, quod quæ dicta sunt, fieri debeant. Accipi-

A 2

tur

tur autem in jure Romano, vel pro constantia & veritate l. 11. §. 1. ff. de act. emt. l. 21. ff. locati; vel pro auctoritate tot. tit. ff. & C. de fid. instrum. vel etiam pro idoneitate promptissima in solvendo §. 41. Inst. de rer. divis. l. 19. ff. de contrab. emt. Committere vero idem est, quod mandare, credere. Varias harum vocum notiones dedita opera expoununt MATTH. MARTINIVS in lex. philolog. CALVIVS in lex. jur. aliquie. THEOPHILVS equidem in paraphrasi græca institutionum Imperatoris IVSTINIANI vocabulum φιδειομησον retinuit: at rārior ejus fit mentio in Basilicis, cuius loco plerumque substituitur ἀπονατάσσω.

§. II. Jure Romano antiquo non ratæ erant ultimæ voluntates, nisi verbis imperativis essent conceptæ. Cum enim legibus XII. tabularum ea solum confirmarentur, quæ quis legasset; legare vero esset veluti legem dicere, atque adeo testatoris non esset, uti verbis precativis, sed directis & imperativis: hinc iis, quæ ex XII. tabulis erant licita, l. 120. ff. de verb. signif. non accensentur fideicomissa. Nullo siquidem juris vinculo, sed tantum pudore & fide eorum, qui rogati erant, continebantur fideicomissa §. 1. Inst. de fideicommissar. bæred. Sæpius tamen veteres hæredum fidei commit-

mittebant, si iis, quidquam relinquere cuperent,  
qui per leges erant incapaces. Erant autem olim  
Romæ plures personæ incapaces, quibus aut nihil  
aut non tantum relinquere poterat, quantum aliis, ut  
erant non modo igni & aqua interdicti, proscripti,  
transfugæ, peregrini, sed etiam feminæ, orbi, cæ-  
libes. HVBER. ad Inst. libr. 2. tit. 23. Cujus rei ex-  
empla adferunt CICERO de Finib. II. 58. QVINTI-  
LIANVS Declamat. CCCXXIV. & VALER. MAXIM.  
libr. IV. c. 2. ex. 7. qui postremus narrat, Q. Pom-  
pejum Rufum exsulem, quem ex testamento civis  
Romani nihil capere potuisset, tamen bona cuius-  
dam accepisse, qui matri prædia sua fidei commi-  
serat, ut hæc illa filio Pompejo restitueret. Sed  
longe aliam faciem induxit fideicommissis Divus  
AVGVSTVS, qui teste IUSTINIANO §. 1. Inst. de  
fideicommiss. beredit. primus semel, iterumque gra-  
tia personarum motus, vel ob insignem quorun-  
dam perfidiam, jussit consulibus auctoritatem su-  
am interponere. Quod cum justum videretur &  
populare esset, paulatim conversum est in assidu-  
am jurisdictionem, tantusque eorum favor inva-  
luit, ut Prætor proprius crearetur, qui de fideicom-  
missis jus diceret, quem fideicommissarium appell-  
ant. Personæ illæ, quarum gratia motus fuit AV-  
GVSTVS

**GVSTVS**, procul dubio fuerunt **LVCIVS LENTV-**  
**LVS & ejus hæres fiduciarius, ex illius enim persona**  
**fideicommissa cœpisse dicuntur pr. *Instit. de codicill.***  
**Dum vero Imperator unius tantum prætoris fidei-**  
**commissarii mentionem injicit, erroris insimulari**  
**posse videtur, siquidem **Svetonivs** *Claud.***  
***XXIII.* auctore est, **CLAVDIVM** Imperatorem duos**  
**constituisse prætores fideicommissarios, qui præ-**  
**ter morem ipsi cognoscerent & ferrent sententias :**  
**postea tamen unum ejusmodi Prætorem detraxisse**  
**TITVM patet ex l. 2. §. 32. ff. de orig. jur.** Nihilominus vero constitutis jam prætoribus fideicommissariis, Consules concurrentem jurisdictionem his in causis exercuerunt, ita quidem, ut Consules plerumque de majoribus, Prætores contra de minoribus fideicommissis cognoscerent. Vide sis **CVIACIVM** *libr. XXI. obs. 34.* & *JCtum nostra æ-*  
*tate celeberr. IO. GOTTLIEB. HEINECCIVM Syn-*  
*tagm. antiquitat. Roman. libr. 2. tit. 23. - 38. §. 4.*  
*Quid?* quod Imperatores ipsos de fideicommissis nonnunquam jus dixisse, exemplo **COMMODI** Imperatoris comprobat *l. 26. ff. de probat.* Deinde **BASILIVS** Macedo ejusque filii, licet Justiniani gloriam invidis intuerentur oculis ; publicum tamen commodum privatis anteposuerunt studiis,  
 & san-

42 ) 7 ( 43

& sanctiones Justinianeas de fideicommissis approbarunt & retinuerunt, quod ex libro ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ 41. tit. 3. & LEVNCLAVII *synopsi libr. Basilicorum* elucet.

§. III. Licet omnis definitio in jure civili sit periculosa, judice IAVOLENO in l. 202. ff. de divers. reg. jur. JCt tamen fideicommissi diversas adferre definitiones solent. VLPIANVS *fragm. tit. XXV.* fideicommissum definit, quod non civilibus verbis, sed precativis relinquitur, nec ex rigore juris civilis proficiuntur. Sed haec definitio sive potius descriptio respicit fideicomissa, quatenus nullum juris civilis vinculum adjectum habebant, & tempora Romanorum antiqua. Conf. SCHULTINGIUS in *jurisprud. antejustin. p. 660.* IVST. HENNING. BÖHMERVS, academiae Fridericianae Director & JCtus celeberrimus, in *introd. in jus dig. libr. 36. tit. 1. §. 2.* fideicommissum vocat ultimam dispositionem, qua verbis precariis vel obliquis heres, hereditatem, vel partem ejus, vel aliam rem singularem alteri restituere rogatur. Præterea, quamvis non nulli JCt, quos excitat HILLIGER. add O'NELLVM *libr. 6. cap. 24.* fideicomissa è substitutionum numero exturbare ausi sint: nihilominus tamen GREGORIVS THOLOSANVS *Syntagm. iur. univ. libr. 42. cap.*

42. cap. 28. n. 4. fideicommissum definit, quod sit substitutio obliqua, per quam testator à persona honorata aliquid alteri restituī jubet. Huic adstipulantur IACOB. FRIDER. LUDOVICI doct. Pan-dect. libr. 36. tit. 1. §. 3. aliquique JCTi maximæ auctoritatis.

§. IV. Fideicommissum relinquere possunt ii, quibus fas est libere de rebus suis disponere, item qui testamenta facere possunt, licet non fecerint, nam intestatus quis moriturus, fideicommissum relinquere potest. l. 2. ff. de leg. 1. BARTHOL. CHESIVS interpretat. jur. c. 18. §. 4. Ita mutis & surdis, quantum licentia datur testamentum condendi juxta l. 10. C. quia testam. fac. poss. ita iis facultas denegari nequit fideicommittendi. FORNER. select. libr. 1. c. 3.

§. V. Olim quidem uti §. 2. observatum est, fideicomissa relinquebantur etiam iis, qui ex testamentis nil capere poterant: nunc vero, non nisi capacibus, sive iis, cum quibus est testamenti factio passiva l. 67. §. fin. ff. ad Sct. Trebellian. l. 103. ff. de leg. 1. Nec interest, ut um gravatus capax sit, an non? cum & per incapacis ministerium ad capacem pervenire fideicommissum possit, imo plerumque ita observetur, ut omissa interpositi, capientis persona spectetur, dum capere quis non videtur,

90

videtur, quod restitutus est l. 42. ff. de leg. 2. l. 28. ff.  
de legat. 3. l. 57. ff. ad l. Falc. juncta l. 71. ff. de verb.  
signif. 10. VOET. in comm. ad Pand. libr. 36. tit. 1.  
n. 21. Acuti Collegia & corporalicia, sive à prin-  
cipe approbata, heredes æque scribi possunt ac  
personæ certæ; ita nullum est dubium, quin iis si-  
deicomissa recte relinquantur l. 32. §. f. ff. de leg.  
2. l. 69. §. 3. ff. ad SCt. Trebell. Ceterum, quæ ad  
historiam collegiorum apud Romanos pertinent,  
fusius persecutus est 10. GOTTL. HEINECCIVS in  
dissertatione singulari de collegiis & corporibus Opis-  
ficium. Præterea, quia posthumi heredes institu-  
untur, ii etiam capiunt fideicomissa. ALTE SERA-  
RA defit. jur. tract. l. c. 7. Illustria posthumorum,  
quibus hereditates delatae fuerunt, exempla, è re-  
mota antiquitate conquisivit BOETIUS EPON. in  
libr. sing. ad l. Gallus.

§. VI. Fideicommisso dnerari possunt ii,  
ad quos ex bonis ejus, qui reliquit, aliquid perve-  
nit, l. 1. §. 6. ff. de bonor. possess. secund. tab. Quare  
fideicomissa præstate tenentur heres prælens &  
ab lens, etiam liberi ultra legitimam instituti, si sine  
liberis decedant l. 102. ff. de cond. & demonstr. PE-  
REZ. C. de fideicomm. n. 19. item legatarius & fidei-  
commissarius, tam universalis, quam particularis,

B

§. II.

§. 11. *Inst. de fideic. heredit.* isque cui mortis causa donatum l. 77. §. 1. ff. *de leg. 2.* nec non conjux, cui ab altero conjuge donatio facta, eo quod morte videatur confirmatum, donatum ac exttestamento relictum l. 32. §. 1. ff. *de donat. inter vir. & uxor.* In fideicommissis vero, si quantitas cum quantitate consertur, l. 70. §. 1. ff. *de legat. 2.* honoratus non ultra quam accepit, gravari potest l. 1. §. 17. ff. *ad S. C. Trebell.* Secus se res habet, si id, quod relictum, cum alia re vel facto fideicommissarii comparetur. Verbi causa si testator Sempronio relinquat mille solidos, rogetque eum, ut prædium suum præstet Sejo: profecto acceptis mille solidis, fiduciario tradere tenetur prædium, licet forte majoris fuerit pretii, videtur enim acceptando istam pecuniam, voluntatem testatoris approbasse, & prædium suum pluris non aestimasse, alioquin relictum repudiaturus est. *ad ff. tit. de legat. n. 14.*

§. VII. Fideicommissi objectum constitutum omnes res, de quibus aliquis libere disponere potest, corporales & incorporales, mobiles & immobiles, universales & singulares, propriæ & alienæ, si fideicommissum relinquens sciverit rem esse alienam l. 67. §. 8. ff. *de legat. 2.* quod in dubio non præsumitur, sed à fideicommissario probandum est

est arg. §. 4. *Instit. de legat.* Res vero quæ absolu-  
te extra commercium sunt, frustra per fideicom-  
missum relinquuntur.

§. VIII. Fideicommissi vulgo varia solent  
ad terri divisiones. Aliud est *universale*, si partis  
hereditatis mentio sit, licet minima ea sit, v. g. Cen-  
tesima, quia fideicommissario univerlorum bo-  
norum pars competit §. 2. *J. de fideicomm. hered.*  
quam *J. Cuius* partem quotam appellant. Aliud est  
*particulare*, si restitutio rei certæ heredi injungitur  
tot. tit. *J. de singul. reb. per fideicomm. relicta.* Istius-  
modi partem *J. Cuius* quantam vocant. Porro divi-  
ditur II.) Fideicommissum in *expressum*, quando  
aliquis verbis fideicommissi vulgaribus heredem  
suum expresse jubet hereditatem alteri restituere, I.  
16. *de fideicomm. libert. & tacitum*, cum quis intelli-  
gitur hoc sensisse, licet dictis verbis usus non fuerit  
d. l. 16. junct. l. 19. §. 1 ff. ad *S. C. Trebell.* & hujus  
quatuor recentes casus, HAHN. ad *WESEN BECIVM*  
*de leg. 1. num. 8.* III.) in *purum*, quando nec con-  
ditio, nec dies apponitur KNIPSCHILD. *de fideic.*  
*fam. cap. 2. num. 32. & non purum*, cui annexa con-  
ditio vel dies, quo restitutio facienda. Sunt ta-  
men adhuc aliae species fideicommissorum, scilicet  
quod alia sint *realia*, alia *personalia*, alia *revocabili-*

B 2 lia,

*lia, alia irrevocabilia &c. de quibus agit KNIPSCHILD. de fideicommissum fam. c. 2. aliquique passim.*

§. IX. Relinquuntur fideicommissa plerumque per ultimam voluntatem, & non tantum in testamentis scriptis vel nuncupativis, sed etiam in codicillis ab intestato; eo ipso enim quod aliquis testamentum non condidit, ac heredes ab intestato non exclusit, illos satis honoravit, adeoque eos fideicommissis gravare potest. Interim fideicommissa nonnunquam pactis hodie constitui solent HARPRECHT. de fideicommiss. conventional. Celeberrimus AVGVSTIN. LETSERVS Meditat. ad Pandect. specim. 402. p. 978. STRTK. in us. mod. ff. ad Sct. Trebell. §. 4. & in cautel. testament. cap. 21. membr. 1. §. 18. Insuper, quia ultimæ voluntates majori favore gaudent, quam actus & negotia inter vivos; ac prohibiciones in testamentis seu ultimis voluntatibus factæ vim legis habent, ita ut actus contra eos gestus sit ipso jure nullus, nec non in his benignior sit adhibenda interpretatio; secus vero se res habet in contractibus: STRTKIVS in cautel. test. l.c. §. 27. consultius & utilius existimat, fideicommissum per ultimam voluntatem constituere, quam per conventionem. Et si vero jure civili ad fideicommissorum validitatem, necesse non fuit,

fuit, ut actis insinuantur: in belgio hispanico tam  
men absque insinuatione fideicommissa omni effe-  
ctu destitui, testis est Zoesivs tit. ff. ad Sct. Trebell.  
num. 39.

§. X. Sed mitto hæc & alia, quæ ad fidei-  
commissorum argumentum generatim spectant,  
& ab interpretibus institutionum digestorumque  
fusius explicari solent: ac potius me converto ad  
fideicommissum, cuius in Novella 108. & Authent.  
contra C. ad Sctum Trebellianum mentio sit. De  
novellis quæ notatu digna sunt, strictim exponunt  
IAC. FRIDER. LUDOVICI in prefat. compendii no-  
vellar. Justin. MENCKENIVS in dissertat. de novel-  
lar. glossatar. & non glossatar. anchorit. & præcognita  
juris univ. commentar. Hoppiano ad Inſit. subjunct.  
cap. 2. §. 27. seqq. earumque varias versiones recen-  
set, ac quale iis pretium statuendum sit, cordate do-  
cer academie Marburgens. Prof. celeb. IO. FRID.  
HOMBERGK zu Bach, in prefatione novellis conſti-  
tutionibus Justiniani e græco in latinum converſis, &  
notis illustratis præmissa. E quibus novellis de-  
promte sunt pleraque authenticæ Codici Justinia-  
neο insertæ. Quodsi vero discrepat Novella ab  
Authentica, magis fidendum est Novellæ cœi Au-  
thentico, quam Authenticæ cœi exemplo, quam

B 3 sen-

sententiam communem tueruntur RICHTERVS ad  
 Authent. in prefat. n. 3. STRVV. in Evol. ad Exerc.  
 III. th. 50. & SCHRÖTER. in tract. de test. par. int.  
 lib. cap. 9. p. 85. Quid quod? errores in Authen-  
 ticus Codici insertis commissos esse, evincere alla-  
 borant GEORGIVS RITTERSHVSIVS, magnus CON-  
 RADI filius, in *Promulgatione errorum Irnerianorum*,  
 paternae Novellarum expositioni, in editione ter-  
 tia, quæ Argentorati anno 1696. prodiit, subjun-  
 cita, & IOANNES IACOBVS WISSENBACHIVS,  
 Antecessor Franequeranus, in *Sylloge errorum Ir-  
 nerianorum*, quæ tractatu de mutuo adjecta est.  
 Quibus tamen se oppoluit præter IOANN. STRAV-  
 CHIVM, qui tantum unicam Authent. *Quas actiones C. de SS. Eccles.* defendendam suscepit, ALEX-  
 ANDER ARNOLDVS PAGENSTECHERVVS, Ante-  
 cessor Duisburgensis, qui plurimum Authenticarum  
 defensiones scripsit in *Irnerio injuria vapulante*.

§. XI. Iuditium Novelle 108. laudat Impe-  
 ratorem Justinianum & Augustum Bassum, ma-  
 gniscentissimum comitem devotissimorum do-  
 mesticorum &c. illum auctorem, hunc executo-  
 rem, cui etiam inscripta est. Ille vero comes do-  
 mesticorum erat Praefectus sive Primicerius l.z. C.  
 de Domest. & Protect. militum, qui prætorianis re-  
 cen-

33 ) 15 ( 33

centiori tempore surrogati, in aula principis semper stationem habebant, tam ad auctoritatem quam ad custodiam sacri cubiculi & Principis, ejusque mandata exequenda. Praetentales etiam vocantur *l. 4. C. d.t.* Dignitas Praefecti prætorio erat post Imperatorem prima. In judicando illius praefecti munus cum Imperatorio fere idem; appellandi quippe jure negato *l. un. §. 1. ff. de P. P.* Unde gloria, culmen & celstudo dicitur. *Nov. 63. 80. 87. Sc.* Primo erat militare s u b t o n. in *Tit. c. 6.* post & civile cum sublimi legum & armorum apice. Insignia Praefecti prætorio erant sella curulis deaurata cum albis quatuorequis, & aeternalis Principum vultus cum reliquis *PANCIROL.* *Nu-*  
*tit. imper. orient. c. 22.* Hinc eum nonnulli com-  
parare solent cum summo Turcarum belli ac status  
ministro, quem Magnum Vezirium vocant, & Hi-  
spanorum regibus vicariis. vid. *CAROLI SCHAR-*  
*SCHMIDII JUS JUSTINIAN. exerc. I. §. 1.*

§. XII. Solenne est Imperatori Justiniano, ex negotiis in controversiam vocatis occasionem legis ferendæ caputare, quod & in hac Novella fecit, in qua dubium de substitutione ac fideicommisso obortum decidit. Scilicet tritum ac pervulgatum illud: *in causa jus esse positum, sive, ex facto ori- jus,*

*jus, l. 52. ff. ad leg. Aquil. non tantum ita capiendum est, debere jus applicari circumstantiis facti, quibus etiam leviter immutatis ac variantibus, necesse est ipsum jus variari: sed etiam hanc habet sententiam, quod facti species sive casus in vita hominum occurrentes, occasionem & aniam praebant legibus & constitutionibus novis contendis ac promulgandis RITTERSHVSIVS in expos. method. Novell. part. 6. c. 10. n. 1.*

§. XIII. Comunis est interpretum juris opinio, alium plane calum proponi in l. 6. C. ad Sct. Trebell. quam qui in Novella 108. & exinde de sumta *Authentica* occurrit. In l. enim 6. dicitur, quod filius simpliciter rogatus, si sine liberis decesserit, restituere hereditatem aliis filiis vel nepotibus, post mortem teneatur dodrantem servare fidicommissariis, ac quadrantem sibi retinere, non vero pro eo latidare, nisi expresse testator satisdari voluerit. In Novella autem 108. & *Authentica* nostra continetur easus converlus, quod rogato restituere non simpl citer, sed quod post mortem si sine prole decebat, supererit ex hereditate, liceat consu mire dodrantem, quadrantem vero servare, & pro ea, nisi remissa fuerit, cautionem præstare teneatur; & quod quadrantis alienatio, exceptis paucis casis.

casibus, invalida sit, ita ut non solum ex substantia alienantis quadrans suppleri debeat, verum etiam, si ius bona non sufficiant, à quocunque possessore alienata repeti possint. Nec interest, utrum ipsa pecunia aut corpora hæreditaria adhuc apud fiduciarium existant, an in eorum locum alia surrogata sint: nam si de pretio rerum venditarum alias comparaverit, diminuisse, quæ vendidit, non videtur, sed quod inde comparatum est, vice dominii permutati restituetur. Idemque servandum erit, si proprios creditores ex ea pecunia dimiserit, non enim ablumitur, quod in corpore patrimonii retinetur l. 70. l. 71. l. 72. de leg. 2. v. o. et. l. c. num. 54. STRVV. Syntagm. jur. civ. exerc. 36. tb. 34.

§. XIV. Olim ante jus novellarum heres rogatus, cum moriatur sine liberis, residuum hereditatis fideicommissario restituere, potuit medio tempore res diminuere ac alienare, conditio enim, si quid super sit, restituat, in se continet tacitam contrariam: si nihil supererit, nequitam restituat. DONELL. in C. ad Aub. Contra ad S. Ct. Trebell. Justinianus vero in Novell. 108. c. 1. hoc fideicommissi genus aliter moderatus est, nimirum ut heres talis sive sit filius sive extraneus c. vii. a. c. ad Novell. 39. possit usque ad dodrantem res imminuere, qua-

C

dran-

drantem vero, quem Imperator *revolutio p[ro]m[un]t[us] dicitur* appellat, fideicommissario restituere tenetur, quasi testator tantillum saltem voluisse ad eum pervenire PETR. GVDELIN. de jure noviss. libr. 2. c. 10. vers. plane si quis.

§. XV. Hoc tamen ita capiendum est, si post mortem heredis nihil ultra quadrantem super sit. Nam si heres gravatus nihil consumiserit ex hereditate hoc fideicommissione gravata, heres heredis gravati nihil amplius ex hereditate praeter quadrantem retinere potest: vel si heres gravatus dum viveret, tantum ex fructibus hereditariis percepit, quantum ad quartam hereditatis sufficit, fructus perceptos in quadrantem imputare, & totam hereditatem restituere tenetur, arg. l. 22. ff. §. ad Sct. Trebell. Ratio in promtu est, defuncti enim voluntas fuit, ut omne residuum restitueretur, contra vero mens Imperatoris in Nov. 108. ne quaque solum quartam partem hereditatis semper restituere debeat heres, sed quod non cogatur plus restituere, si scilicet cetera bona absenserent. Profecto Imperatori Justiniano id semper in ferendis legibus curæ cordique fuit, ut exacte observarentur ultimæ voluntates, ut luculenter patet ex Novell. 1. c. 2. in pr. & Nov. 108. c. 2.

§. XVI.

§. XVI. Quod vero ad consumtionem & alienationem attinet, multi J Cti, ut MENOCHIVS de præsumt. 188. n. 5. BRVNNEMANN. ad l. 54. & authent. Contra C. ad SCt. Trebell. FVSAR. quæst. 545. num. 2. seqq. aliique allegati à PEREGRINO de fideic. c. 42. num. 42. seq. sibi aliisque persuadent, et iam ratione dodrantis dolum & animum intervertendi fideicommissum exclusum esse. Sed quia Imperator Justinianus in Novellæ nostræ 108. cap. 1. disertis verbis ait: Non enim concedimus ei, qui gravatus est, etiam donationibus uti aliquibus, & forsitan ex studio, quod Papinianus dicebat, intervertendi fideicommissa causa, ut etiam quarta minuatur institutionis ejus; sed hæc omnino relinquere fideicommissum &c. ex doctrina oppositorum & argumentatione à contrario sensu sequitur, donationes & animum intervertendi in quarta tantum interdicti, in dodrante vero permitti arg. l. 22 ff. de LL. l. 1. pr. ff. de offic. ej. cui mand. est jurisdict. l. 12. pr. ff. de judic. Quorūlum pertinent, quæ habet MENOCH. libr. 4. præf. 118. num. 14. quando ait: dum Justinianus concescit heredi facultatem alienandi quartam ex justa causa, sequitur, quod etiam sine justa aliqua causa posit heres alienare dodrantem: alias nulla esset inter dodrantem & quartam differentia.

C 2

Quod

Quod eo magis dubio caret, quia Imperator in Novella nostra statim subjicit: *Aliis omnibus in ejus positis potestate & licentiam habere, cum his sicut voluerit uti, quemadmodum perfectis dominis licet.* Quæ verba satis clara sunt, & gravato tanquam perfecto domino, qui scilicet bona possidet sine onere restitutionis, & sic pro libitu illis uti, ea etiam perdere potest l. 21. C. mand. l. 25. §. 11. ff. de petit. hered. Nov. 22. HARPRECHT. ad pr. J. aerer. div. n. 29. liberam disponendi facultatem in dodrante concedunt. Accedit, quod, cum alienatio & consumtio dodrantis gravato ceu perfecto domino per legem conedatur, nemo quoque in dolo sit, & dolus ab eo non presumatur, qui jure suo & lege permittente, aliquid de suo vel in suo facit l. 55. ff. de reg. jur. l. 24. §. f. l. 26. ff. de damn. inf. FACHINAEVS libr. 5. controv. c. 53. RITTERSHVS. in Expos. Novell. part. 6. c. 10. num. 4. PEREGRINVS de fideic. a. 40. num. 44. CASP. HENR. HORN. Clas. 7. Resp. 33. compluresque alii rectius statuunt, posse gravatum tres illas partes sive dodrantem facultatum & bonorum etiam donare animo & studio intervertendi fideicommissum.

§. XVII. Licet vero nonnulli juris interpretes recensiti à FV SARIO de fideicomm. substit. quest.

145.n.

145. num. 41. & PEREGRINO de fideicommissis art. 40.  
 n. 43. existiment, gravatum restituere, quod super-  
 erit, posse etiam alienare per viam testamenti: huc  
 tamen sententia ab aliis idoneis confutatur argu-  
 mentis. Quod enim à vivo alienatum non est, o-  
 mne venit in restitutionem, PEREGRIN. de fideic.  
 art. 40. n. 40. & ita quidem, ut nec ultima volun-  
 tate, quæ per mortem deum vires capit §. 4. J. de  
 bered. qual. & differ. in alium transferri queat M E-  
 NOCH. de pres. libr. 2. p. 188. n. 17. sqq. cum illa quæ  
 inter vivos non alienata, superesse centeantur tem-  
 pore mortis BRUNNEMANN. ad Avthent. contra C.  
 ad Sct. Trebell. Præterea Novella 108. verba: &  
 licentiam habere, cum his, sicut voluerit, uti, actus  
 inter vivos inferunt, non autem ultimæ voluntatis,  
 cum moriens non utatur, sed alii bona relinquit,  
 ut iis utantur. MENOCH. de presump. libr. 4. quest.  
 188. n. 17. Imo si facultas testandi relictæ esset, fa-  
 cile eveniret, ut nunquam aliquid superesset M E-  
 NOCH. d. l. n. 17.

§. XVIII. Etsi quoque Novella nostra 108.  
 disertis verbis de fideicommisso universalis loqua-  
 tur: expediti tamen juris est, à fideicommisso uni-  
 versali ad fideicommissum singulare valere conte-  
 quentiam & argumentationem, nisi obstet ratio

diversitatis, quæ hic vero deficit. Quid quod? pro fideicommisso singulari eadem ratio militat. Ratio enim sanctionis Justiniani in Novella 108. hæc est, ut tollantur omnes lites, quæ vel incertum rei, vel arbitrium boni viri, legibus antiquis comprehensum, creare poterant, quæ ratio & in fideicommisso singulari exigit, ut credamus, Justinianum de hoc idem sensisse arg. l. 32. ff. ad Leg. Aquil. l. 6. ff. de jur. Patron. EVERHARDVS loc. top. à legat. ad fideicomm. num. 5. HORNIVS cit. Resp. pag. 421.

§. XIX. Quoniam in Novella 108. filiorum, & Antithetica ex illa confessæ liberorum mentio sit, extra controversiam esse videtur, liberorum nomine non solum eos venire, qui primi sine differentia sexus l. 93. §. 3. ff. de legat. 3. l. 148. ff. de verb. significat. verum etiam, qui secundi vel ulterioris sunt gradus l. 1. C. de condit. insert. l. 84. ff. de V. S. sive plures sive unus super sit l. 101. §. 1. ff. de cond. Et demonstrat. Quæstiones varias de liberis, huc pertinentes, exquisita opera excus sit CHRISTOPH. PHILIPP. RICHTERVS Exposit. Auth. Codici insertar. part. poster. p. 149. seqq. Imo in delcendentibus fideicommisso gravatis subintelligitur clausula: Si sine liberis decesserint l. 102. ff. de condit. Et demonstrat.

*Brat. l. 3. C. de fideicomm. CARPOV. part. 3. const.  
8. def. 28. BERGER. & con. jur. libr. 2. tit. 4. th. 32. not.  
7. p. m. 425. & illustris IO. BALTHAS. WERNHERVS  
Select. observ. for. part. 1. obs. 39. Nec interest, u-  
trum testator sciverit, filium liberos habere, nec ne  
BRVNNE MANN. ad l. 102. ff. de condit. & demonstr.*

§. XX. Cum vero homines nitantur in ve-  
titum semper, cupiantque negata: ut Justinianus  
securitati fideicommissi propiceret, in *Novell. 108.*  
& *Authentica nostra constitutum legitur*, quod he-  
res gravatus cautionem præstare debeat. Licet  
cautionis vel *ασφαλειας* absolute positæ nomine nu-  
da promissio veniat *l. 3. C. de verb. & rer. signif.* sub  
ea tamen aliquando intelligitur cautio, quæ sit fi-  
dejussoribus *l. 1. ff. qui satisd. cog. aut pignoribus l.*  
*1. C. de proc. idoneis*, pro possibilitate tamen ejus,  
qui ad præstationem cautionis est obstrictus *l. 1. ff.*  
*ut legat. nom. l. 6. ff. qui satisd. cog.* Quoties enim  
cautio requiritur idonea, toties fidejussoria aut pi-  
gnoratitia præstanda est *arg. l. 59. §. ult. ff. mand.*  
BERGER. & con. jur. libr. 1. tit. 4. thes. 9. not. 2. Cau-  
tio quoque præstanda est, etiam si contra hæredem  
nulla ad sit suspicio *l. 12. ff. qui satisd. cog. l. 1. §. 1. l.*  
*14. pr. ff. ut leg. vel fideicomm. serv.* Quam cauti-  
onem, si heres præstare recusat, potest fideicom-  
mis-

missarius à judice petere, se mitti in bonorum pō-  
sessionem caussa rei servandæ, ad cogendum ea de-  
tentione heredem, ut caveat l. 3. & 5. C. ut in pōfess.  
leg. nisi forte, secundum limitationem Authenticæ  
nostræ, testator heredi onus satisdatiōnis remiserit.  
Aliquando etiam cautio à lege heredi gravato re-  
mittitur, propter conjunctionem nimirum perso-  
narum, ut parenti erga filium l. 6. C. ad Sct. Trebell.  
**G**UDELINVS *de jure noviss. libr. 2. cap. 10.* Remis-  
sa autem cautione, nihilominus heres ad quadran-  
tis conservationem tenetur, ne per fraudem ejus di-  
minuatur l. 15. l. 119. *de legat. 1.*

§. XXI. Cum de bonis fideicommisso ob-  
noxiiis fideicommissarius, cuius tamen quam ma-  
xime interest, nihil in sui præjudicium alienari, nisi  
confecto inventario, certior reddi nequeat: heres  
gravatus, præter cautionem de fideicommisso præ-  
stanto, fideicommissario ad confectionem reper-  
torii hve inventarii obstrictus est. Nequaquam  
tamen requiritur inventarium solenne ex præscrip-  
to, l. ult. C. *de jure deliberandi confectum:* sed sus-  
ficit qualemque, ex quo constare aliquando pos-  
sit de qualitate & quantitate rerum hereditaria-  
rum, idque sumtibus fideicommissarii conficien-  
dum est **CARPZOYIVS** part. 3. const. 8. definit. 39.  
alii-

aliique, quos in testimonium citat GOSWINVS ab  
Esbach ad b. defin.

§. XXII. Quod si nihilominus heres, non  
obstante cautione, religioni sibi non duxerit, quar-  
tam istam legem definitam alienare: fideicomis-  
sarius ex Authentica nostra, & ejus fronte Nov. 108.  
vel rei vindicationem, vel actionem hypotheca-  
riam instituere potest. Licet enim, quod ad rei  
vindicationem attinet, obverti possit, vindicatio-  
nem nemini competere nisi a domino l. 23. ff. de R. V.  
fideicommissarium autem ante traditionem do-  
minum non esse, quia traditione deum transfer-  
tur dominium l. un. C. de suffrag. l. 20. C. de pac.  
huic dubio tamen facile occurri potest. Scilicet  
in privatorum conventionibus quidem, domini-  
um sine traditione non transfertur, quod ex allega-  
tis juribus textibus ac l. 3. ff. de O. & A. & §. 40. I.  
de R. D. manifestum est: sed in illis, quae mortis  
causa sunt, verbi causa: legatis &c. res aliter se  
haber, & dominium etiam sine traditione transit.  
Vid. H. O. R. in comm. J. S. fin. de off. jud. Atqui fi-  
deicommissalegatis ex quaesta sunt, ergo idem et-  
iam in hisce obtinet RITTERSHUS. c. l. part. 6. c. II.  
n. 10. Actionis quoque hypothecariæ in l. r. C.

D

comm.

comis, de leg. fundatum occurrit, adeoque haec  
actio nulla laborat difficultate.

¶. XXIII. Cum autem omnis fere regula  
quibusdam obnoxia sit exceptionibus; ita etiam  
regula ista: heredem gravatum fideicommissario  
quadrantem restituere tenet, ex mente ipsius Im-  
peratoris Justiniani, quasdam patitur limitationes  
sive exceptiones. Prima est, quæ fit propter do-  
rem, vel donationem propter nuptias, ex singulari  
matrimonii favore, ut scilicet foeminae eo citius  
maritos, & viri uxores inventire possint. Publice  
enim interest, civitatem repleri legitima sobole l. r.  
ff. sol. matr. l. 64. ff. de cond. & demonstrat. publica  
autem utilitas semper præferenda privatæ, & fidei-  
commissarii saltem concernit privatam utilitatem  
eius, cui debet restituui; quod tamen tum demum  
locum obtinet, quando parentes in suis facultati-  
bus non habent, unde haec præstanda præstare pos-  
sunt Novell. 108. c. 1. in verbis: *aliam non habens  
substantiam.* Altera est, quæ fit propter redemptio-  
nem captivorum, etiam si quis propria bona possi-  
deat, de quibus præstare posset, quia pietatis causa  
tanquam præcipua omnibus rebus præferti deberet.  
Novell. 108. c. 1. & personæ semper sunt digniores  
ipsi rebus maxime pretiosis l. 21. C. de SS. Eccles.

Tertia

Tertia denique est, si heres non habeat unde faciat expensas & se alat. Si enim heredi licet, pro redimendis ex captivitate alius, etiam proflus extraneis, quadrantem imminuere, multo magis etiam pro se ipso & suis, eam quartam imminuere poterit, cum ordinata caritas a se ipsa incipiat arg. l. 6. C. de servit. § 4q. Quod axioma non tantum locum sibi vindicat in parentibus, sed etiam in liberis, qui vice versa parentes suos alere tenentur, si iis sit res angusta domi ac curta supellex, & sibi victimum ac amictum comparare nequeant l. 1. & 2. C. de alend. lib. Imo, qui ei negat alimenta, cui jure debentur, illum necare dicitur l. 7. ff. de agnoscend. & alend. lib. & quia ista alimentorum luppeditatio naturali nicitur ratione, patræ potestatis non habetur ratio l. 10. ff. de cap. min. l. 5. §. 1. ff. de agnosc. & al. lib. vel par.

§. XXIV. Conjuges in communione corporum & omnium fortunæ casuum vivunt. Majores nostri, referente TACITO de Germ. c. 18. munieribus suis, sub ipsis matrimonii auspiciis, uxores admonebant, venire se laborum periculorumque socias, idem in pace, idem in pœlio passuras, auxiliasque. Juncti boves, paratus equus & arma uxoribus denunciabant: sic una cum maritis vi-

D 2 ver.

vendum, sic pereundum esse. Si quoque sacrum  
 evolvamus codicem MOSES Genes. cap. 2. comm.  
**24.** nos condocet, summum Numen maritum &  
 uxorem tam arcto conjunxisse vinculo, ut maritus  
 parentes relinquere debeat, & suæ adhæteri uxori.  
 Justum ergo & æquum est, ut, si conjuges sine libe-  
 ris decedunt, alter prædefuncti hæres sit, ejusque  
 bona capiat, vel ex asse, vel ex aliqua saltem parte.  
 Conjuges vero si se invicem amant, superstiti bo-  
 na relinquere solent vel in pactis dotalibus, vel in  
 ultimis voluntatibus & fideicommissis. Quia  
 vero fideicommissa sunt odiosa, pro iis inducendis  
 non facile capienda est interpretatio CARPZOV.  
 part. 3. const. 8. def. 18. n. 3. MEV. part. 7. decis. 18. n.  
 1. & 2. Sed hoc ita capiendum est, si nihil sit, ex  
 quo contraria testatoris voluntas elici possit, post-  
 quam placuit, ex conjecturis fideicommissum in-  
 duci posse 1. penult. de leg. 1. l. 64. de legat. 2. ANTON.  
 FABER. in Cod. libr. 6. tit. 20. def. 43. n. 2. Non e-  
 nem semper sunt odiosa fideicommissa, sed quan-  
 doque favorabilia, quod egregie explicavit ME-  
 VIVS cit. decis. 18. Mentionem facit illustris WERN-  
 HERVS part. 2. select. obs. for. obs. 452. testamenti  
 conjugum reciproci, in quo expressa continetur  
 clausula: quod post mortem conjugum, & qui-  
 dem

dem sine liberis dececeditum, in residuo facultatum & hereditatis, utriusque conjugis propinquorum duabus partibus, titulo institutionis honorabili heredes debeant esse scripti. Hoc testamentum ordo Vitembergensis ad consultationem herren Müllerischen Erben zu Herzberg secundum sententiam Novell. 108. & Arthent. Contra ad Sct. Trebell. interpretatus est, & vidua superstitionem cautionis ratione quicunque partis hereditatis, & confectionem inventarii injunxit.

§. XXV. Res omni dubio caret, si in ultimis voluntatibus & fideicommissis, dilertis verbis continetur: quod residuum hereditatis, post mortem fiduciarii, fideicommissarius capere debet. Altioris vero indaginis esse videtur, si residui hereditatis in ultima voluntate vel fideicommisso nulla injecta fuerit mentio; sed testator tantum plenissimam facultatem hereditate utendi fruendi, & de ea disponendi, fiduciario concesserit: utrum ea verba pro æquipollentibus fideicommissis sub clausula: quod post mortem supererit, reliæ venditari possint, nec ne? Aequipollentia verba Imperatorem IUSTINIANVM admittere, ex verbis Novell. 108. c. 1. Si quis enim haec (quod ea, quæ inveniuntur seu remanent in tempore mortis,

submittat sola in fideicommissum) aut etiam aliquid aliud tale dixerit, ή καὶ τι τοῖςτον ἔτερον Φίσιος satis liquet.

§. XXVI. Aequipollentia vero est propositionum verbis diveritarum in sensu convenientia. Ad eam dijudicandam sermonis, quo quid proferatur, quemque logica non docet, sed præluppenit, peritia ac judicij bonitas requiritur. Quæ duo, si adsint, facile quis intelliget, an propositiones quædam inter se sensu convenientia nec ne. Quæ vulgo in libellis logicis traduntur, ad solam lingvam latinam pertinent, & particularia sunt, dum de solis signis agunt, cum tamen alio etiam respectu æquipollentia possit occurere. vid. GOTTLIEB. GERH. TITIVS. JCtus quondam Lipsiensis celeberr. art. cogit. cap. 7. §. 41 seq.

§. XXVII. Et verba æquipollentia ab hoc fideicommisso ex hoc capite etiam excludi nequeunt, quia in interpretandis fideicommissis voluntatis testatoris præcipua semper ratio haberi solet; & sola voluntas spectatur in fideicommissis, et si ex verbis commode concipi haud possit, dum tamen ex conjecturis colligatur I. 25. C. de fideicommissu MANTICA de conjectur. ult. volunt. libr. 8. tit. 1. n. 25. ANT. FABER. in Cod. all. tit. 20. def. 7. Nemo tamen

tamen temere inficias ibit, istiusmodi requiri conjecturas, quæ mentem testatoris probabilem reddunt, & minime leves, sed necessariæ & concludentes sunt. *MEVIVS part. 7. decif. 17.* Inter omnes etiam constat, ea quæ pro forma requiruntur, ad ungvem esse servanda, nec posse adimpleri per æquipollens *l. 33. ff. dejurej.* sed ea neglecta actum infirmari *l. 8. §. 17. ff. de transact. l. 1. C. de præd. min.* EVERHARD. *in top. in loc. a. def. form. num. 2. CARPZOV. part. 2. conf. 14. def. 11.*

S. XXVIII. Operæ forsitan erit pretium, ut paucissimis perstringam casum in causa P. A. W. heredum & ejus viduæ A. R. maxime in controvèrsiam vocatum. Testator enim ille P. A. W. uxorem in testamento reciproco heredem instituerat his verbis: Weil mein Ehemann mich geliebet, sich sparsamt erfinden lassen, das, so wir durch Gottes Seegen zusammen gebracht, mit erworben helfsen; so achte ich mich schuldig und verpflichtet, ihr das Meingabe, zu ihrer Ergötzung, dankbarlich zuzuwenden, und zu ihrer Erhaltung eigenthümlich zu übergeben; Will dahero sie zu meinem Universal-Erben meines Vermögens dergestalt einsetzen, daß dieselbe damit ihres eigenen Gefallens zu schalten, zu walten, ohne je-

mais

mandes Einwenden zu geniessen, zu gebrauchen,  
 zu kehren und zu wenden, Zug und Macht haben  
 solle ic. Es haben sich auch beyde Cheleute reciproce reserviret, daß ein jeder noch bei seinem Le-  
 ben dieses Testament andern und mindern möge.  
 In fine subiecit manus: Nach meinem und mei-  
 ner Frauen Tode sollen meine beyde Schwester-  
 Tochter, E. B. K. und S. M. W. titulo institu-  
 tionis honorabili instituaret seyn. Vidua acerri-  
 me contendebat: Verba Testamenti, quibus po-  
 testas ipsi concessa, hereditatem pro arbitrio di-  
 spensandi, significare & innuere clausulam de re-  
 situendo eo, quod post mortem supererit. Ur-  
 gebat quam maxime vim & efficaciam verborum  
 pleiorum dispensationis istius: ac contradictoria  
 & jocosa in ultima voluntate non praesumi, sed ita  
 interpretationem esse instituendam, ut voluntas  
 testatoris impleatur. Caussabatur verba: Zur  
 Ergözung und Erhaltung, imprimitur: zu geniess-  
 en und zu gebrauchen, quæ volum fructum signifi-  
 care videatur, & quæ explicat CASP. KLOCKIVS  
 tom. 3. conf. 115. n. 7. sibi præjudicium inferre non  
 posse; cum ista per verba liberae dispensationis  
 absque ullius interpellatione explicitur; & in  
 suo arbitrio sit, quam vivendi rationem & viam

ingre-

33 13 53

ingredi velit. Addebat, utrumque conjugem sibi  
facultatem reservasse, testamentum reciprocum  
immutandi & imminuendi: adeoque sibi minime  
gentium denegandam esse potestatem, determi-  
nandi illam partem, quam fideicommissarii post  
mortem suam capere debeant. Porro docebat,  
sibi non obesse, quod maritus sub fine in testamen-  
ti, cognatas suas post mortem demum utriusque  
conjugum honorabili titulo institutas voluerit.  
Semper enim existimandum est, plus favisse testa-  
torem illi, quem prius honoravit, quam fideicom-  
missario, habetur enim ille pro magis dilecto, qui  
primo loco nominatus l. 34. ff. ad SCe. Trebell. ac-  
que etiam ic. quem testator propter affectionem  
& contemplationem singularis causis honoravit  
SIMON. de PRATIS de interpretat. ultimor. vo-  
lunt. libr. 1. fol. 6. num. 18. seqq. & fol. 6. num. 1. seq.  
BORN. cit. resp. p. 420. Succedebat quoque res  
vidux ex voto, siquidem in duabus sententius con-  
formibus juxta nostram Novellam 108. pronuncia-  
batur. Ast proh dolor! in appellationis instantia  
Dresdæ sententiaz priores reformabantur, à vidua  
ad orans abjudicabantur, & tantumnei quadranz ad-  
judicabantur, quæ sententia quoque, rejecta leute-  
razione, confirmata est.

E

§. XXIX.

om


§. XXIX. Ab iis, quæ in Novella nostra  
108. sancita sunt, diversa est illa facti species in Hol-  
landia admodum frequens, qua conjuges una ta-  
bula testantes, se invicem heredes scribunt cum ali-  
enandi potestate, sed ea lege, ut quæ apud ultim-  
um morientem residua fuerint reperta, aequali-  
ter in duas partes, inter primi morientis & ultimi  
superstitis heredes legitimos dividantur. Hoc cas-  
su id lolum videtur dividendum, quod conjugi  
postremo moriente supererit, etiamque quartam  
non constitutat ejus, quod moriente primo con-  
juge, in communii conjugium massa repertum  
fuit, ita, ut neque cauio pro quatuor partis re-  
stitutione, neque inventari conjectio postulari  
possit; tum, quia per concessam non expresse alienan-  
di facultatem, etiam quarto iphus alienan-  
dæ licentia videtur à testatore esse concessa; tum  
per alias rationes adductas at 18.000 COREN.

Conf. 23. num. 22. seqq. Contro vero, id quoque  
cedet lucro heredum priuili morientis, quod super-  
stes fortassis massam bonorum auxerit sua indu-  
stria, labore, aliusque modo, eo quod ex utriusque  
conjugis simul testamento condentis voluntate,  
id unum videtur inspicendum esse, quantum ultim-  
us superstes, sive auctum sive diminutum, cum  
mo-

moritur, relinquat, ut inter utriusque "conjugis  
propinquos in duos semisses dividatur. Vid. 10.  
VOET. comment. ad Pand. libr. 36. tit. 1. n. 56.

§. XXX. Constitueram quidem hoc ar-  
gumentum fusius persequi, & ex instituto excutere:  
led cum temporis oppido angusti habenda esset ra-  
tio, potiora ejus tantum capita breviter attingere  
potui. Veniam quoque dabit L.B. si festinabun-  
dus non ubivis rem, quod in proverbio est, acute-  
tigerim, sed forte aliquid humani, quod à  
me non alienum esse existimo,  
passus sim.

SOLI DEO GLORIA.



201 DEO GLORI.



Erfest, Diss., 1735



✓D18



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> IN A<sup>V</sup>G<sup>V</sup>RALIS IVRIDICA,  
DE 1705, 23.  
<sup>26</sup>  
**FIDEICOMMISSO,**  
S<sup>V</sup>B CLAVS<sup>V</sup>LA:  
**QVICQVID POST MORTEM**  
S<sup>V</sup>PERFVERIT,  
**RELICTO.**

GERMANIS:

Von Vermächtnissen, besonders unter Cheleuten; Und  
von guter Vorsicht, daß dieselben dem überlebenden Theile  
oder auch übrigen Erben nicht zur Last fallen.

QVAM  
S<sup>V</sup>B PRAESIDIO  
**DN. CONR. WILH. STRECKERI,**  
ICTI, IVRID. FACULT. ET IVDICI<sup>E</sup> ELECT. PROVINC. AS-  
SES. PROF. IVR. PVBL. O. CIVIT. SYNDICI, CONSVLIS ET  
CAVSARVM TUTELARIVM CONSVENTIS,  
PRO  
GRAD<sup>V</sup> DOCTORALI  
DIE XXII. AVG. A. M DCC XXXV.  
IN PER-ANTIQUA ELECTORALI VNIVERSITATE  
ERFORDIENS<sup>I</sup>  
PVBLICAE ERVITORVM DISQVISITIONI EXPOSUIT  
A.  
**THEOPHILVS MARTINVS Lipsch,**  
WEDERINGA-MAGDEBURGICVS.  
EDITIO II.

FRANCOF. ET LIPSIAE, CI<sup>O</sup> IC CCLIII.

